

sponsum mandare dignetur. Nam et Venerio patriarchae simili tenore mandavimus, ut usque ad tempus pro re supradicta expectet: tempore enim, quo nos responsis imperialibus certi fuerimus, nostram ad vos epistolam destinabimus festinanter, ut quantocius ad audiendum vel ad sustinendum canonica nullatenus deferatis venire. Deus enim te incolumem custodiat, reverendissime ac sanctissime frater.

58. — 852, 29 gennaio. *Ludovico II a Benedetto vescovo di Cremona.*

FONTE: Cod. Sicardi. Arch. secreto cremonensi, f. 37.

EDIZ.: Muratori, *Antiquitates Italiae*, II, 25; Robolotti, *Codice diplomatico longobarbo*, n. 175.

In nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni. Hludovicus, gratia Dei imperator augustus, invictissimi domni imperatoris Hlotarii filius. Si enim ea *etc.* — Quia vir venerabilis Benedictus, sancte cremonensis ecclesiae presul, nostris obtutibus ostendit precepta antiquorum regum Hliutprandi et venerande memorie Karoli, actavi nostri, necnon Hludovici, serenissimi imperatoris, avi scilicet nostri, et domni genitoris nostri Hlotarii, prestantissimi imperatoris, que dum recognovissemus, omni sanctione sue ecclesie confirmatum comperimus portum Cremonensem et Vulpariolos. — De quibus — adinvenimus eundem portum sub omni integritate eidem ecclesie pertinere, et cuiuscumque loci vel gentis ripa palum figere, quandoque devenerit in sortem stare, et riparios juxta portum piscare et debere reddere per unamquamque navem decimum modium salis, et palisfictura denarios quatuor. Venetici etenim suum censum, sicut consueti sunt, reddere debent. Transitus enim navium debita exatione persolvantur. Et ut hec nostre auctoritas pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, manu propria subter eam firmavimus et anuli nostri impressione adsignari jussimus.

Raberius, notarius domni imperatoris, ad vicem Dru-
ctemiri recognovi.